

EUROPATRIA

FRANCISCO DE OLIVEIRA
COORDINATOR

POR TUGAL

1. The Hispanic west since the romanization¹

The Roman presence in the Hispaniae began with the landing of Cnaeus Cornelius Scipio in 218 B.C. and the creation of two provinces, probably in 197 B.C. The conquest was only fully accomplished with Augustus' campaigns in the northwest of the Peninsula (27-19 B.C.). The wars waged against the Roman legions by the Lusitanians led by Viriatus (147/146-139 B.C.), and the participation of the Peninsular peoples in the Roman civil wars (80-73 B.C.) under the command of Quintus Sertorius, have a particular significance in the process of conquering and Romanizing the Peninsula. Later on, the Portuguese would come to consider themselves as descendants of the Lusitanians, awarding Viriatus the status of national hero.

The Western part of the Peninsula soon revealed cultural and linguistic characteristics that were different from other regions of the Roman Hispaniae. That distinct identity was progressively shaped with the creation, between 27 and 13 B.C., of the *Lusitania* province, with *Emerita Augusta* as its capital, and which included initially *Gallaecia*, a province later made autonomous by Diocletianus between 284 and 288 A.D., with *Bracara Augusta* serving as its capital.

With the arrival of the Alans, Vandals and Suevi by 409-410 A.D., **Orosius**, born probably in Braga in 390 A.D., fled the Barbarians' persecutions and

¹ Where mediaeval and renaissance texts are concerned, either a direct reading of the originals and manuscripts was made which took account of some variations in the terms of the original script, or good critical editions or modern studies were simply followed.

exiled himself in Africa, near Saint Augustine, from whom, however, he would show intellectual independence. In his *Historiae*, written around 416-417 A. D., he describes human history beginning with the origins of the world and placing great emphasis on Greece and Rome.

The Visigoths, who arrived on the Peninsula in 410 A.D. as allies of the Roman Empire, conquered *Bracara Augusta* to the Suevi in 456. The Visigothic kingdom reached its zenith in the 6th and 7th centuries, after King Recaredus' conversion to Christian religion. King Euricus (466-485) was the first prince of a Germanic people to transpose his national law into Latin. Rescevindus unified the Iberian Peninsula's law through the Codex Visigothicus, under the aegis of the Roman law, in 654.

The outstanding name in the culture of the northwest of the Peninsula in the 6th century is Martinho de Braga or de Dume (Martinus Bracarensis or Dumiensis, deceased in 579), who converted the King of the Aryan Suevi to Catholicism. He wrote for them the work *De correctione rusticorum*. Martinho identifies the Suevi gods with the Roman divinities (Jupiter, Juno, Mars, Mercury, Minerva and Venus), which, according to his view, are devil's instruments leading mankind to its doom, and criticises the habit of naming the days of the week in the Roman way, imposing the Christian designations. These designations would be adopted by the Portuguese language, becoming a unique feature among Romance languages.

The Arab invasion of 711 led to the destruction of the Visigothic kingdom, pushing the Christians and their culture with Greco-Latin roots to the Northwest mountains of the Peninsula. These mountains would be the starting point of the Christian reconquest, moving from North to South, and it was in this historical context that the kingdom of Portugal would be born, gaining its independence in 1143.

The Greco-Latin cultural heritage did not fade away completely in these times. It was preserved by monastical and ecclesiastical schools, like the ones at Santa Cruz and Alcobaça's monasteries (12th century), and developed after the founding of the Portuguese University in 1288, honoured by distinguished professors such as Pedro Hispano (Petrus Hispanus), later to become Pope John XXI (deceased 1277), and Santo António de Lisboa (Antonius Patavinus Olissiponensis, deceased 1231).

Preceded by a phase of pre-humanism, where the name of D. Garcia de Meneses (Garsias Menesius) stands out, the resurgence of the classical heritage occurred with the Renaissance (1500-1580). This resurgence was brokered by Spain and Italy and characterized by the printing of Portuguese and foreigner humanists' works, an activity which extended to the rest of Europe as well as to Asia and Africa, thanks to the Portuguese discoveries.

Institutions and personalities stood out in this process, such as the College of Arts, founded in 1547 by André de Gouveia (Andreas Goveanus or Gouveianis, 1497-1548), and personalities such as André de Resende (Lucius Andreas Resendius, 1500-1573), polygrapher and antique dealer that had contacts with Erasmus, Clenardo, Salamanca, Alcalá de Henares, Paris and Leuven, and that in 1534 pronounced, as opening lecture of the academic year, the *Oratio pro rostris*, vibrant praise of classical humanities; Damião de Góis (Damianus Goes), 1502-1574), who lived abroad for 22 years, met Dürer, Luther, Melanchthon and L. Vives and publicized the Portuguese exploits; Jerónimo Osório (Hieronymus Osorius, 1506-1580), who excelled in political philosophy; Diogo Pires (Didacus Pyrrhus Lusitanus, 1517-1599), distinguished Neo-Latin poet who was exiled and died in Dubrovnik; and other distinguished learned men such as Inácio de Morais (Ignatius Moreus or Moralis, ?1507-1580), Gaspar Barreiros (Gaspar Varrerius or Barrerius), deceased 1574) and Duarte de Sande (Eduardus de Sande, 1531-1600).

In the vernacular Humanism the renowned national poet Camões (deceased 1580) stands out, whose epitaph written by António Figueira Durão (Antonius Figueira Duram, deceased 1642) is shown here.

2. Geography of Roman Lusitania

ab Ana autem Atlantico oceano obversa Bastulorum Turdulorumque est. in universam Hispaniam M. Varro pervenisse Hiberos et Persas et Phoenicas Celtasque et Poenos tradit. lusum enim Liberi patris aut lyssam cum eo bacchantium nomen dedisse Lusitaniae et Pana praefectum eius

*universae. at quae de Hercule ac Pyrene vel Saturno traduntur fabulosa
in primis arbitror.*

(Plin. *Nat.* 3.8)

*universae Hispaniae Vespasianus Imperator Augustus iactatum pro-
cellis rei publicae Latium tribuit. Pyrenaei montes Hispanias Galliasque
disterminant promunturiis in duo diversa maria proiectis.*

(Plin. *Nat.* 3.30)

*a Cilenis conventus Bracarum Helleni, Grovi, castellum Tyde, Graecorum su-
bolis omnia. insulae Siccae, oppidum Abobrica. Minius amnis, III ore spatus, ore
Leuni, Seurbi, Bracarum oppidum Augusta, quos super Gallaecia. flumen Limia,
Durius amnis e maximis Hispaniae, ortus in Pelandonibus et iuxta Numantiam
lapsus, dein per Arevacos Vaccaeosque, disterminatis ab Asturia Vettonibus, a
Lusitania Gallaecis, ibi quoque Turdulos a Bracaris arcens. omnis, quae dicta
regio a Pyrenaeo, metallis referta auri, argenti, ferri, plumbi nigri albique.*

*A Durio Lusitania incipit. Turduli veteres, Paesuri, flumen Vagia,
oppidum Talabriga, oppidum et flumen Aeminium, oppida Conimbriga,
Collipo, Eburobrittium. excurrit deinde in altum vasto cornu promuntu-
rium, quod aliqui Artabrum appellavere, alii Magnum, multi Olisiponense
ab oppido, terras, maria, caelum discriminans. illo finitur Hispaniae latus
et a circuitu eius incipit frons.*

(Plin. *Nat.* 4.112-113)

*erratum et in amnibus inclutis. ab Minio, quem supra diximus, \overline{CC} ,
ut auctor est Varro, abest Aeminius, quem alibi quidam intellegunt et
Limaeam vocant, Oblivionis antiquis dictus multumque fabulosus, ab
Durio Tagus \overline{CC} interveniente Munda. Tagus auriferis barenis celebratur.
ab eo \overline{CLX} promunturium Sacrum e media prope Hispaniae fronte prosilit.
| \overline{XIII} | inde ad Pyrenaeum medium colligi Varro tradit, ad Anam vero,
quo Lusitaniam a Baetica discrevimus, \overline{CXXVI} , a Gadibus \overline{CII} additis.*

gentes Celtici Turduli et circa Tagum Vettones, ab Ana ad Sacrum Lusitani. oppida a Tago memorabilia in ora Olisipo, equarum e favonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata Vrbs Imperatoria, Merobrica. promunturium Sacrum et alterum Cuneus. oppida Ossonoba, Balsa, Myrtilis.

Vniversa provincia dividitur in conventus tres, Emeritensem, Pacensem, Scalabitanum, tota populorum XLV, in quibus coloniae sunt quinque, municipium civium Romanorum, Latii antiqui III, stipendiaria XXXVI. coloniae Augusta Emerita, Anae fluvio adposita, Metellinensis, Pacensis, Norbensis Caesarina cognomine; contributa sunt in eam Castra Servilia, Castra Caecilia. quinta est Scalabis quae Praesidium Iulum vocatur. municipium civium Romanorum Olisipo, Felicitas Iulia cognominatum. oppida veteris Latii Ebora, quod item Liberalitas Iulia, et Myrtilis ac Salacia, quae diximus.

(Plin. *Nat.* 4.115-117)

3 — Conquest and romanization of the Hispanic west

3.1. Wars waged by Viriatus (147-139 B.C.)

Ceterum Lusitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimae. Qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator et, si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quattuordecim annos omnia citra ultraque Hiberum et Tagum igni ferroque populatus, castra etiam praetorum et praesidia adgressus, Claudium Vnimanum paene ad interencionem exercitus cecidisset et insignia trabeis et fascibus nostris quae ceperat in montibus suis tropaea fixisset. Tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat; sed a successore Popilio violata victoria est. Quippe qui confiendae rei cupidus, fractum ducem et extrema deditio agitantem per fraudem et insidias et domesticos percussores adgressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non posse.

(Florus, 1.33.15-17)

3.2. Deceit of Servius Sulpicius Galba in 150 B.C.

familiam illustrauit Seruius Galba consularis, temporum suorum et eloquentissimus, quem tradunt Hispaniam ex praetura optinentem, triginta Lusitanorum milibus perfidia trucidatis, Viriathini belli causam extitisse.

(Suetonius, *Galba*, 3.2)

3. Sergius autem Galba praetor a Lusitanis magno proelio victus est universoque exercitu amisso ipse cum paucis vix elapsus evasit. (...) 10. Igitur in Hispania Sergius Galba praetor Lusitanos citra Tagum flumen habitantes cum voluntarios in ditionem recepisset, per scelus interfecit; simulans enim de commodis eorum se acturum fore, circumpositis militibus cunctos inermes incautosque prostravit. Quae res postea universae Hispaniae propter Romanorum perfidiam causa maximi tumultus fuit.

(Orosius, 4.21.10.3 e 10)

3.3. Decimus Brutus penetrates deep in Lusitania (138-137 B.C.)

Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque et omnis Callaeciae populos formidatumque militibus flumen Oblivionis, peragratoque victor Oceani litore non prius signa convertit quam cadentem in maria solem obrupturnque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprendit.

(Florus, *Epit.* 1.33.12)

3.4. Wars waged by Sertorius, murdered by Perpenna (80-73 B.C.)

Bellum Sertorianum quid amplius quam Sullanae proscriptionis hereditas fuit? Hostile potius an civile dixerim nescio, quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce. Exul et profugus feralis illius tabulae, vir summae quidem sed calamitosae virtutis malis suis maria

terrasque permiscuit; et iam Africae, iam Balearibus insulis fortunam expertus usque in Oceanum Fortunatasque Insulas penetravit consiliis, tandem Hispaniam armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor quam Romano duce.

(Florus, 2.10.1-3)

Sertorius vero, corporis robore atque animi consilio parem Naturae indulgentiam expertus, proscriptione Sullana dux Lusitanorum fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset ne cum Romanis universa acie configlere vellent, vafro consilio ad suam sententiam perduxit: duos enim in conspectu eorum constituit equos, validissimum alterum, <alterum> infirmissimum, ac deinde validi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a iuvene eximiarum virium universam convelli iussit. obtemperatum imperio est. sed dum adulescentis dextera irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium exsecuta est. tunc barbare contioni, quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti, subicit equi caudae consimilem esse nostrum exercitum, cuius partes aliquis adgre-diens opprimere possit, universum conatus prosternere celerius tradiderit victoram quam occupaverit. ita gens barbara, aspera et regi difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis pervidit.

(Valerius Maximus, 7.3.6)

2. Sertorius siquidem, vir dolo atque audacia potens, cum partium Marianarum fuisset, Sullam fugiens ex Africa dilapsus in Hispanias, bellicosissimas gentes in arma excitavit. 3. Adversus hunc, ut breviter definiam, duo duces missi Metellus et Domitius: quorum Domitius ab Hirtuleio Sertorii duce cum exercitu oppressus est. (...) 13. Prostremo ipse Sertorius decimo demum anno belli inchoati isdem quibus et Viriatus suorum dolis imperfectus finem bello fecit Romanisque victoram sine gloria dedit; quamvis Perpennam postea pars exercitus eius secuta sit: qui a Pompeio victus cum universo exercitu suo imperfectus est.

(Orosius, 5.23. 2-3 e 13)

4 — Myths of the west

Fortunatae Insulae

*vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et volate litora.
nos manet Oceanus circum vagus arva beata:
petamus arva, divites et insulas,
reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
et imputata floret usque vinea,
germinat et numquam fallentis termes oliva
suamque pulla ficus ornat arborem,
mella cava manant ex ilice, montibus altis
levis crepante lympha desilit pede.
illuc iniussae veniunt ad mulctra capellae
refertque tenta grex amicus ubera,
nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
neque intumescit alta viperis humus.*

(Hor. Ep. 16. 39-52)

5. Barbarian invasions: collapse of the Roman Empire (5th century)

5.1. Fleeing the barbarian invasions, Orosius takes refuge in Africa

*Mibi autem prima qualiscumque motus perturbatione fugienti, quia
de confugiendi statione seguro, ubique patria, ubique lex et religio mea
est. 2. Nunc me Africa tam libenter exceptit quam confidenter accessi;
nunc me, inquam, ista Africa exceptit pace simplici, sinu proprio, iure
communi, de qua aliquando dictum et vere dictum est
hospitio prohibemur barenæ,
Bella carent primaque vetant consistere terra;*

nunc ultro ad suscipiendos socios religionis et pacis suae benivolum late gremium pandit atque ultro fessos, quos foveat, invitat.
3. *Latitudo orientis, septentrionis copiositas, meridiana diffusio, magnarum insularum largissimae tutissimaeque sedes mei iuris et nominis sunt, quia ad Christianos et Romanos Romanus et Christianus accedo.* (...) 6. *Inter Romanos, ut dixi, Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo legibus inploro rempublicam, religione conscientiam, communione naturam. Utor temporarie omni terra quasi patria, quia quae vera est et illa quam amo patria in terra penitus non est.*

(Orosius, 5.2.1-3 and 6)

5.2. The Goths: Gothia or Romania

4. *Nam ego quoque ipse virum quendam Narbonensem inlustris sub Theodosio militiae, etiam religiosum prudentemque et gravem, apud Bethleem oppidum Palaestinae beatissimo Hieronymo presbytero referentem audivi, se familiarissimum Athaulfo apud Narbonam fuisse ac de eo saepe sub testificatione didicisse, quod ille, cum esset animo viribus ingenioque nimius, referre solitus esset: 5. se in primis ardentiter inbiasse, ut oblitterato Romano nomine Romanum solum Gothorum imperium et faceret et vocaret essetque, ut vulgariter loquar, Gothia quod Romania fuisset et fieret nunc Athaulfus quod quondam Caesar Augustus, 6. at ubi multa experientia probavisset neque Goths ullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem neque reipublicae interdici leges oportere, sine quibus res publica non est res publica, elegisse saltim, ut gloriam sibi de restituendo in integrum augendoque Romano nomine Gothorum viribus quaereret habereturque apud posteros Romanae restitutionis auctor, postquam esse non potuerat immutator.*

(Orosius, 7.43.4-6)

6. The Hispanic west in the Middle Ages (6th century)

Ecce quales fuerunt illo tempore isti perditи homines, quos ignorantes et rustici per adinventiones suas pessimas honorabant, quorum vocabula ideo sibi daemones adposuerunt, ut ipsos quasi deos colerent, et sacrificia illis offerrent et ipsorum facta immitarentur, quorum nomina invocabant. Suaserunt etiam illis daemones, ut templa illis facerent et imagines vel statuas sceleratorum hominum ibi ponerent et aras illis constituerent, in quibus non solum animalium sed etiam hominum sanguinem illis funderent. Praeter haec autem multi daemones ex illis qui de caelo expulsi sunt aut in mari aut in fluminibus aut in fontibus aut in silvis praesident, quos similiter homines ignorantеs deum quasi deos colunt et sacrificant illis. Et in mare quidem Neptunum appellant, in fluminibus Lamias, in fontibus Nymphas, in silvis Dianas, quae omnia maligni daemones et spiritus nequam sunt. Qui homines infideles, qui signaculo crucis nesciunt se munire, nocent et vexant. Non tamen sine permissione dei nocent, quia deum habent iratum. Et non ex toto corde in fide Christi credent, sed sunt dubii in tantum ut nomina ipsa daemoniorum in singulis diebus nominent et appellant diem Martis et Mercurii et Iovis et Veneris et Saturni, qui nullum diem fecerunt, sed fuerunt homines pessimi et scelerati in gente Graecorum.

(...) Ecce qualis cautio et confessio vestra apud deum tenetur. Et quomodo aliqui ex vobis, qui abrenuntiaverunt diabolo et angelis eius et culturis eius et operibus eius malis, modo iterum ad culturas diaboli revertuntur? Nam ad petras et ad arbores et ad fontes et per trivia cereolos incendere, quid est aliud nisi cultura diaboli? Divinationes et auguria et dies idolorum observare, quid est aliud nisi cultura diaboli? Vulcanalia et Kalendas observare, mensas ornare, et lauros ponere, et pedem observare, et fundere in foco super truncum frugem et vinum, et panem in fontem mittere, quid est aliud nisi cultura diaboli? Mulieres in tela sua Minervam nominare et Veneris diem nuptias observare et qua die in via exeatur adtendere, quid est aliud nisi cultura diaboli? Incantare herbas ad maleficia et invocare nomina daemonum incantando, quid est aliud nisi cultura diaboli? Et alia multa quae longum est dicere. Ecce ista omnia, post abrenuntiationem diaboli, post baptismum, facitis et, ad culturas daemonum et ad mala

idolorum opera redeuntes, fidem vestram transgressi estis et pactum quod fecistis cum deo disruptis. Dimisistis signum crucis, quod in baptismo accepistis, et alia diaboli signa per avicellas et stornutos et per alia multa adtenditis. Quare mibi aut cuilibet recto christiano non nocet augurium? Quia, ubi signum crucis praecesserit, nihil est signum diaboli. Quare vobis nocet? Quia signum crucis contemnitis, et illud timetis quod vobis ipsi in signum configitis. Similiter dimisistis incantationem sanctam, id est symbolum quod in baptismo accepistis, quod est Credo in deum patrem omnipotentem, et orationem dominicam, id est Pater noster qui es in caelis, et tenetis diabolicas incantationes et carmina. Quicumque, contempto signo crucis Christi, talia signa aspicit, signum crucis, quod in baptismo accepit, perdidit. Similiter et qui alias incantationes tenet a magis et maleficiis adinventas, incantationem sancti simboli et orationis dominicae, quam in fide Christi accepit, amisit et fidem Christi inculcavit, quia non potest deus simul et diabolus coli.

(Martinho de Braga, *Instrução pastoral sobre superstições populares: De correctione rusticorum*, ed., trad., introd., coment. de Aires A. Nascimento, colab. de Maria João V. Branco. Lisboa 1997, 8 and 16)

7. Pre-humanism, Humanism and Renaissance (15th and 16th centuries)



Via Latina, University of Coimbra (FO)

*Adde, quod et populum laetis Conimbrica ludis
Exhilarat, crebro quos celebrare solet.
Nam quoties quisquam studiis sua praemia posci.
Et lauri emeritum cingere fronde caput:
Antiquo canitur laetus de more triumphus,
Pergit et ad doctas ordine pompa Scholas.
Incedit rector, comitatus fascibus aureis.
Atque comes sequitur densa caterua uirum.
Turba it doctorum, redimitaque tempora sertis.
Textaque quisque suo tincta colore gerunt.
Plebs stupefacta ruit studio diffusa uidendi,
Et reboant festo tympana pulsa sono.
Miscet et alterno strepitu tuba rauca sonorem,
Argutos fundunt et caua buxa modos.
Tum personatis iuuenes discurrere gaudent
Vultibus, et lepidos ore referre iocos.
Sic cum Romanus domito dux hoste triumphum,
Atque olim niueos uictor agebat equos:
Laurigerum magno excipiebat honore senatus,
Et populus plausum uoce sonante dabat.*

(Inácio de Morais, *Conimbricae Encomium 387-407: Conimbricæ encomium ab Ignatio Morali editum, Conimbricæ. Apud Ioannem Barrerium Typographum Regium. M D LIII; <http://purl.pt/15175>*)

7.2. The College of Arts in Coimbra, 1547



Torre da Universidade, Coimbra, Portugal (FO)

De Gymnasio Conimbricensi a Ioane Rege Exstructo

Cernis ut illa uetus regum Conimbrica sedes

Ante alias urbes exserat una caput?

Nam cum fida diu templis suspenderit arma,

Aonidum lucos et iuga summa colit.

Hic Academiae, hic sunt loca nota Lycae,

Hic schola constructis inclyta porticibus.

*Instat et ipsa sibi laudis studiosa iuuentus:
interea docta laurea fronde uiret.
Adsit Aristoteles, doctas miretur Athenas,
Et locus hic dicat plus pietatis habet.
Adsit et interpres Diuum Cumaea Sibylla,
Plena Deo uates ore futura canat:
Donec Monda maris uicini excurret in undas,
Stabat Ioannis nobile Regis opus.*

(Diogo Pires, *De Gymnasio Conimbricensi*, in: Flavii Iacobi Eborensis *Cato Minor, sive Disticha Moralia ... Venetiis 1596*, p.131)

7.3. Praise of Lisbon

Igitur antiquae urbis Olisiponis situs collem excelsum, ad Tagi ripam deductum usque, antiquitus solummodo occupabat, nunc vero plures montes ac valles magnitudine amplectitur. Cuius potissima celeberrimaque pars orienti opposita est: qua potissimum parte, suscepto iam Tago, pelagus in latitudinem millia passuum sex patet. Ex adverso latere duo sinus efficiuntur: quorum unus Aquilonem versus introrsum redactus ad frequentem bac tempestate vicum Gallicum nomine, alter vero ad meridiem paulum deflexus, ad vicum Conam quotidianas habent navigationes. Ab eodem vero latere paulo inferius, oppidum Almada situm est, in extremo frontis, quam Conensis sinus obliquo circuitu emittit. Quo quidem loco pelagus a licentiosa sinus vastitate paulo coarctatur. Illincque ad urbem traiectus est passibus paulo minus quam millibus quatuor.

Ripa vero lateris eius fere praecipitio in mare descendens, ac dorso in acus similitudinem ad meridiem sese inclinans ad Barbarium promontorium extenditur. Mediis his anfractibus sinuosa, devia, quasi syrtes intersunt; in quibus aurum arenis involutum nostri conquirunt, eo praecipue loco quem Addiciam nuncupant: quod item plerisque locis in ipsa Tagi ripa fieri consuevit. Nec a veterum sententia discrepat, qui Tagum auro gemmisque affluere scripserunt . (...)

Quod si solum omnibus ex partibus planum esset, a latere terrestri formam arcus demonstraret. Interioris vero urbis amplitudo et magnificientia tanta est ut cum caeteris omnibus Europae urbibus, et hominum multitudine, et aedificiorum pulchritudine et varietate, merito contendere possit. Domorum siquidem amplius quam viginti millia inesse constat. Earumque ingens multitudo, tam principum virorum, nobiliumque, quam etiam privatorum hominum, eleganter, et sumptu prope incredibili constructa est, adeo ut etiam parietes intrinsecus fornicesque, ligno Sarmatico undique vestiti, vermiculato opere, auro, variisque coloribus adhibitis exornentur.

(*Vrbis Olisiponis Descriptio* per Damianum Goem Equitem Lusitanum, in qua obiter tractantur nō nulla de Indica nauigatione, per Graecos et Poenos et Lusitanos, diuersis temporibus inculcata. Eborae: apud Andream Burge[n]sem, mense Octobri 1554, chapters 12 and 18)

8. Exaltation in latin of Portuguese discoveries

8.1. Expansion to Africa in the reign of King Afonso V (1432-1481)

Omitto breuitatis gratia commemorare quae eorum maiores contra mauritanos gesserint, quo pacto eos tot iam annos lusitaniae totius possessione haerentes ui et uirtute pepulerint. Quonam modo post recuperatum regnum in africam transcederint et expugnata septa urbe omnium africanarum clarissima et maxima gaditanum fretum occupauerint non haec dicam quanquam plena meritorum plena gloriae sint, quia progenitorum ornamenta neque virtutem neque honestatem mea quidem sententia minoribus praebent quin immo saepe etiam plerisque dedecori et ignominiae fuere. Sed ad ea animus properat quae Alfonsus ipse rex clarissimus sua industria sua manu gesserit. Primum alcassar oppidum munitissimum situm in medio freto magna classe adortus paucorum dierum oppugnatione cepit. Postea uero cum expedito equitatu iterum in mauritaniam

*traiiciens quamvis tingi urbem antiquissimam et natura atque operibus
munitissimam quam furto tentauerat capere nequiret, tamen excursiones
plerasque in barbarorum agros longe lateque fecit multosque mortales
ferro ignique absumpsit. Vastatisque agris et populatis eorum finibus in
Lusitaniam est regressus. Tertio uero in africam quadringentarum circiter
nauium maxima et pulcherrima classe traiiciens arzillam urbem mag-
nam et opulentam in ora oceani atlantici sitam in coronam obssessam
tormentisque quassatam ui cepit, comite et socio illustrissimo principe, qui
inibi post tam claram uictoram militaribus sacramentis a patre obstrictus
uir euasit animo et corpore inuictus prudentiaque insuper et rei milita-
ris peritia super aetatem superque humanam fidem insignis. Sed ea urbe
expugnata pauore perculti mauri cum ferre obsidionem tingitanam des-
perarent relictis moenibus sese cum mauritaniae regno (algarbium accolae
vocant) eximio regi dediderunt.*

(*Oração ao Sumo Pontífice Sisto IV* dita por D. Garcia de Meneses
em 1481. Edição fac-similada, com nota bibliográfica de Martim de
Albuquerque e tradução portuguesa de Manuel Pinto de Meneses.
Lisboa 1988; cf. A. Costa Ramalho 1985, pp.14-16)

8.2. The geographical discoveries of the Portuguese

*Hinc est quod saepe nostrorum hominum ingenia et facta me-
cum animo reputans, ausus sum illud affirmare: aut non alias
prorsus Romanam uirtutem adaequare aut certe proprius referre.
Nihil equidem ad gratiam fingimus, sed quae partim uetustis
latinae historiae libris sunt comprehensa, partim nostra aetate
quotidie uidemus. Etenim si Lusanorum paucitas aduersus tan-
tam hostium multitudinem spectetur, quis non iure miretur tot
asperrima bella a nostris suscepta et tam felici rerum successu
confecta? Tot urbes, tot oppida ui capta, vastos oceani fluctus
perdomitos, nouas insulas, nouas / regiones ac nostro orbi in-
cognitas repertas? Denique magnam partem Africæ, totum fere*

Orientem subactum, in cuius ultimam fere plagam arma Lusitana sunt illata, et alte sacratissimae Crucis uexilla imposita, quo nec Augusti Caesaris, nec Alexandri olim uirtus penetrauit.

Nos Hesperidum insulas inuenimus. Nos Nili fontes tot ante saeculis ignotos reclusimus. Nos Herculis metas sumus praetergressi. Quid reliquum est tantis laboribus (nisi absit dictis iactantia) ut Antipodas ipsos (si qui sunt) tandem eruamus? Vt de Hercule ipso ferunt, qui cum in terris monstra quae domaret non amplius haberet, inferos etiam petiuit.

(Ignatii Moralis *oratio panegyrifica* ad inuictissimum Lusitaniae Regem diuum Ioannem tertium ... 1550, ed. fac-simile, Coimbra, 1938, fls. Biij-Bijj v)

8.3. Evangelization and outstanding military victories during the expansion

Procuratam in his regnis sacrosanctae religionis sinceriores puritatem, et datam graviter operam ne impune peruersis dogmatibus exoticisque doctrinis polluatur. Propagatam quoque longe gentium in abditissimas terras, etiam ante hoc tempus ignoratas, Dei opt. max. notitiam, vt tametsi eae gentes huius auspiciis, nostris armis, deuictae sint, earum tamen interfuerit ita vinci, bonoque illis sit seruitutem eam perpeti, quae in veram animorum adserat libertatem, positoque foedissimo simulacrorum cultu, ac daemonum abiecto iugo, quo obligatae atque detentae superstitione turpissima conflictabantur, iam caelum spectant, iam omnium rerum parentem adgnoscunt, sancteque venerantur. (...)

Quod si qui praeferoces atque bellicosos usque eo titulos admirantur, iis Indici, Carmanique triumphi in mentem veniant, ii inquam de bellatos non ita pridem reges potentissimos, bellicosissimas nationes iugo pressas, Turcarum pestiferam gentem, et unis omnium Christianorum Lusitanis infensissimam, toties illic ad internacionem caesam atque

*deletam, in memoriam redigant, sibique gratulentur, quod regis vere
maximi prudentia foris vincant, domi pace salutari perfruantur.*

(L. Andr. Resendii, *Oratio habita Conimbricae In Gynasio Regio,
anniversario dedicationis eius die*, M. D. LI, folii B and Bij v.)

8.4. The Portuguese in China

*Exponam vobis rem admirabilem et auditu fortasse non iniucundam.
Sinae, ut scitis, regionem incolunt latissimam, in extremis orientis oris ad
septemtrionem sitam atque Scythiae continentem, ita ut multis in locis niue
pruinaque rigeant. Nostri autem cum maria omnia transmiserint inuic-
tis armis omnia littora peruagantes, auream Chersonesum extremasque
oras Indiae praeteruecti flectunt ad septemtrionem, ad regiones maritimae
Sinarum naues appellantes. Ibi itaque tandem consistunt atque finem ul-
terius nauigandi faciunt.*

*Qui igitur ex nostris aliquod commercium cum illis habuerunt, aiunt
uix esse ullam nationem siue urbium magnitudine, siue aedificiorum
pulchritudine, siue uictu cultuque ciuili, siue flagranti artium studio cum
Sinarum natione comparandam. In libris autem scribendis aeneis formis,
quae non ita pridem apud nos in usu sunt, illi infinitis prope saeculis utun-
tur. Tantumque ferunt apud illos tribui disciplinis ut non sit ullo modo fas
summum imperium committi, nisi illi qui se probauerit esse omni disciplina
cumulatum. Nec enim in mandandis honoribus aut generis aut fortunae
rationem habent, sed tantum disciplinae. Omnes igitur qui principatum ex-
petunt, in artium studia incumbunt. Vbi autem credunt se non paenitendam
progressionem fecisse, ad certos iudices huic muneri destinatos accedunt.
Horum suffragio, aut ut indocti repelluntur aut ut docti certis honoris insig-
nibus ornantur. Ex iis deliguntur qui minores iurisdictiones administrent.*

*Qui autem diutius in studio permanere et in maioribus disciplinis
uersari cupiunt, ubi certum cursum absolverint, aliud iudicium longe
grauius subeunt. Iudicantur enim a uiris multo doctioribus; iis si satis-
fecerint ad altiorem honoris gradum ascendunt. Sic etiam licet iis qui*

ampliorem honoris spem sibi proponunt plures annos in studio consumere et ordinatim alia atque alia doctorum hominum iudicia subire. Sunt enim plures ordines hominum de ingenio atque doctrina iudicantium. Pauci autem sunt qui per omnes doctrinae gradus ad amplissimum locum ascendant, cum multos praestans uis naturae non paucos fortunae deficiant. Hi tamen pauci summum imperium administrant, in summo rerum fastigio collocati.

(Hieronymi Osorij *de gloria* libri V. Conimbricae M. D. xlix, in: J. M. N. Torrão, *D. Jerónimo Osório e o Tratado De Gloria*, ed. crítica, II vol., Coimbra 1991, pp.122-123; see also A. Costa Ramalho 1985, p.174)

8.5. Portuguese navigations precede those of Columbus

Ita igitur usque ad Plinii tempora certos quosdam progressus fecisse uidetur nauigatio. Verum tamen multo ampliores usque ad nostram aetatem. In quo genere iure laudantur Lusitani, qui magnum fundamentum perpetuae suaे commendationis et famae, fecisse, atque memoriam nominis sempiternam consecuti esse uidentur, apud quos magis quam in caeteris nationibus haec ars exculta est. Qui primi mare Atlanticum nauigantes, cunctam Mauritaniae et Aethiopiae oram, usque ad magnum et vastum illud Bonam Spem promontorium: maris interiora magno impetu irumpens atque ab antiquis geographis ignoratum, summa cum animi fortitudine et solertia, et magnis tandem exantlatis laboribus explorarunt, temporibus Iffantis Henrici et Ioannis Portugalliae regis secundi, et plurimi annis ante quam Christophorus Colonus Ligur occidentalem Oceanum nauigasset, uiamque munitam posteris reliquere, qua perfectum est, ut postmodum in Indiam ab Vlissipone, summa, vt hodie fit facilitate nauigaretur.

(*Commentarius de Ophyra Regione ... Gaspare Varrerio Lusitano autore.* Conimbricae. Per Ioannem Aluarum Typographum Regium, M. D. LXI, fol. I 8vº, 1561, in: Gaspar Barreiros, *Chorographia*, ed. C. Pegado, Coimbra, 1968)

8.6. Difficulties in sailing to India

(...) Atque vt omittam semestrem illam inclusionem, velut in carcerem, de qua initio colloquiorum locutus sum, vix dici potest, quot, et quam variis tempestatibus Oceanus sit infestus. Vnus enim dies, atque vna hora interposita saepe perturbat omnia, et secundam nauigationem parua nonnunquam commutat aura, quae vehementius interdum flans, admirabiles procellas excitat. Hae autem vel certo aliquo caeli signo, vel etiam improviso, nulla spectata ratione, commouentur. Nec leue tedium aliquando sequitur ex malacia, nullo, ne levissimo quidem flatu spirante, sed mari buc ac illuc cum magna vectorum satietate flutuante. Quid dicam de vadosis, scopulosisque locis? in quae saepe naues plenissimis velis vectae ita incurunt, vt in multas partes confringantur, miserique homines absque vlla spe salutis profundissimo maris gurgite absorbeantur. Quid denique referam periculum, quod ab igne nauibus imminet? cum enim sint ex arida lignorum materia confectae, et pice alioque simili bitumine oblitae, earumque tenuissimae rimae stupris obstructae, facillimum est, concepto igne incendium excitari, quo tota navis deflagret, vt saepe euenisce certum est. Quorum euentuum mira et miseranda vobis possem exempla referre, nisi notiora esse crederem, quam vt repetitione indigeant.

(*De missione legatorum Iaponensium ad Romanam curiam, rebusq; in Europa, ac toto itinere animadversis dialogus ... in sermonem latinum verus ab Eduardo de Sande.* Macau, 1590, p. 366; <http://books.google.pt/books?hl=pt-PT&id=B5h8oBxpb4YC&q=inclusionem#v=one> page&q=inclusionem&f=false).

9 — Camões, national poet

*Iussus deinde sacri diuina lararia Phaebi
Ingredior doctis vatum fulgentia formis.
Hic desideriis mens flagrat, lumine vatum*

*Perlegere effigies: animum praesensit amantem
Nympba comes, tendensque manus inscripta CAMONI
Ora procul monstrat, docti sacra ora Camoni,
Maeonii vatis Samius quem crederet heros
Informatum anima; caecus namque vnis, et alter
Conspicitur luscus: mansurum in saecula nomen
Olli fama ingens aurato lemmate sacrat.*

LVDOVICO DE CAMOENS

Tagidum Apollini Durabile omen

*Lysiadum cursus nitidi ad cunabula Phaebi
Dum celebro, aeternum me mea pluma facit:
Namque liber, qui Lysiadas ad maxima duxit
Littora, gemmiferis quae rigat Indus aquis.
Nunc meus est Oriens, nunc est mibi posthuma cuna
Vnde meum assurgens nomen ad astra volat.
Nam quanquam in mortis tumulo prostratus obiui,
En noster nobis nunc liber ortus erit.*

(António Figueira Durão Lisbonensis, Poema *Lararium Apollinis* 73-90, in: *Antonii Figuera Duram, Lisbonensi Opera omnia*. Quibus in I. adhuc pueritia praelusit. Lisbonae; ex Typographia Georgij Rodrigues, M. D. C. XXXV, pp.32rv)

10 — Bibliography

- L. Brunhölzl, *Histoire de la Littérature Latine du Moyen Age*, I.1: *L'Époque Mérovingienne*; (1991), I.2: *L'Époque Carolingienne*. Paris, Brepols 1990.
- Lucius Annaeus Florus, *Epitome of Roman History*. Cambridge, Harvard University Press, 1966 (1929, repr.).
- Damião de Góis, *Elogio de Lisboa. Vrbis Olisiponis descriptio*. Versões latina e portuguesa. Introdução de I. Amaral. Apresentação, edição crítica, trad. e com. de A. A. Nascimento. Lisboa 2002.
- Q. Horati Flacci *Opera*, ed. D. R. Shackleton Bailey. Stutgardiae, Teubner 1995 (1985).

- Martinho de Braga, *Instrução Pastoral sobre Superstições Populares. De correctione rusticorum*, ed., trad. A. A. Nascimento — M. J. V. Branco. Lisboa.
- F. Oliveira, ed., *Raízes Greco-Latinas da Cultura Portuguesa*. Coimbra 1999.
- F. Oliveira, "Portugal", in: *Der Neue Pauly*, Stuttgart 2002 516-526.
- Orosio, *Le storie contro i pagani*, a cura de Adolf Lippold, traduzione di G. Chiarini. Mondadori 1972 vols.
- C. Plinii Secundi *Naturalis Historiae libri XXXVII*, post Ludovici Iani obitum recognovit et scripturae discrepantia adiecta edidit Carolus Mayhoff, vol. I. Libri I-VI, editio stereotypa editionis prioris (MCMVI), Stutgardiae in aedibus B. G. Teubneri MCMLXVII.
- A. Costa Ramalho, *Latim Renascentista em Portugal (antologia)*. Coimbra 1985.
- E. G. Ríaza, *Celtíberos y Lusitanos frente a Roma: Diplomacia y Derecho de Guerra*. Vitoria 2002.
- Duarte de Sande, S. I., *Diálogo sobr a missão dos embaixadores japoneses à Cúria Romana*. 2 vols. Pref., trad. e coment. A. Costa Ramalho, estabelecimento do texto latino S. T. Pinho. Coimbra 2009.
- G. Suetoni Tranquilli *Opera*, vol. I, *De Vita Caesarum libri VIII*, recensuit M. Ihm, Stutgardiae et Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MCMXCIII (1908).
- Valerius Maximus, *Memorable Doings and Sayings*, vol. II, books VI-IX, ed. and transl. By D. R. Shackleton Bailey. Cambridge, Harvard University Press 2000.